Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2041
Quelle:
Copyright:

licher Religion vnnd glaubens zwischen gemainen Christen eyns, vnnd den abgesonndertn annders thails halten, vnnd Irenthalben zu Augspurg auff dem Reichstag Im Iare nach vnnsers Herrn geburt M. D. XXX. anfenngclich am XVI tag des Augstmonats durch beder theyln verordneten Fursten Theologen vnnd Juristen auff Christlich vergleichung gehandelt vnnd doch nit In allen Artickl mittl gefundenn worden Ist. Examinantur in hoc Scripto, quod ad tempus Conventus *Haganoici* 1540. pertinere putem, *Confessionis August.* Articuli, quemadmodum in *Cochlaeano* illo, quod impressum dedit *Seckendorfius suprac.* L. III. §. 79. *addit.* 4. sed nostrum, cujus *Nausea* ipse in *Catal. lucubratt. suarum* hoc titulo: *Liber unus Consultationis super reconciliandis in christ. relig. dissensionibus*, meminisse videtur, cum Cl. *Bernhardo Frid. Hummelio* in *Neu. Biblioth. selt. Bücher* II. B. p. 20. ἀνεκδοτόν habeo. *Prologo* et *Epilogo*, *Articulis*que XXVIII. gaudet.

IX. *fol.* 177. *Censura domini Licentiati Arnoldi Colonien. super confessione lutheranorum.* Arnoldus hic est *Haldrenius Vesaliensis*, Theologus et Canon. *Coloniensis* ✠ 1534. Edidit praesens illius Opusculum *Ingolstadii* 1544. 8. amicus ejus *Joh. Cochlaeus* in *Quadruplici Concordiae Ratione*, unde corrigendi *Gesnerus*, *Jöcherus*, *Foppenius*, qui *quadruplicem* ab *Arnoldo* Consultationem scriptam fuisse tradunt. Edidit et *Ge. Coelestinus Hist. Confess. Aug.* T. II. *f.* 234. Contractius est in editis, nobisque 5. paginis ulterius procurrit. *Cochlaeus* hunc illi praefixit titulum: *Brevis ad singula puncta Confessionis Protestantium Principum Responsio Augustæ priuatim scripta per Arnoldum Vuesaliensem et Joannem Cochlæum communi studio.* In Prooemio *Doctori Joanni Rinco Patricio Coloniensi* quaedam ad *Arnoldi* βιογραφιαν subpeditantur.

X. *fol.* 201. *Acta Schmalkaldiæ Anno 1540. Per vrbanum regium datum Haganoe mense Julio.* Sunt Articuli *Smalcaldici secundi*, seu potius Deliberatio Theologorum Protestantium *Jonae*, *Pomerani*, *Melanchthonis*, *Crucigeri*, et *Buceri*, ut ait *Sleidanus* L. XII. ad *h. a.* quomodo cum Catholicis in Conventu *Spirensi*, sed *Haganoam* dein translato agendum foret. Incipit: *Horribile est nomen scismatis, et merito pijs omnibus abominabile, quare uigilanter curandum, ne cum probro nobis impingatur.* &c. *Urbanum Regium Luneburgensium* tunc, ut vocant, Superintendentem rebus gerendis interfuisse liquet ex *Seckendorfii Hist. luth.* L. III. §. 76.

XI. *fol.* 209. Affectus Αἱρέσεων *Catalogus*, qui non ultra *primum* Articulum procedit. Articulus hic inscriptus est: *Quod Christus non sit naturalis filius patris.* Enumeratis iis, qui hoc adseruere, sequitur Confutatio ex sacris literis.